



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 47. Renatus Benedictus suam versionem apologia vendicans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.

A C. 1575.

§. XLVII.

Renatus Benedictus suam versionem
apologia vendicans.Argentre
pag. 435.

Renatus Benedictus cum se undique
premi cerneret, prolixa apologia
suam agendi rationem vindicare nite-
batur, ac inter alia hæc exponebat:
„nonnisi ex invidia quidam meorum
„confratrum Theologiæ Doctorum ad-
„versus Biblia meo nomine edita insur-
„rexerunt, etiamsi hæc nonnisi a Typo-
„graphis omnino Catholicis impressa
„regio privilegio munita sint, aliunde
„etiam a Catholicis avide recepta non
„sine ingenti eorum emolumento: in-
„super Lovanienses Doctores novum
„approbarunt Testamentum in editio-
„ne, quam ipsi consentiente Leodiensi
„Episcopo Antverpiæ Anno Christi mil-
„lesimo quingentesimo septuagesimo
„primo concinnarunt. „ His præmis-
„sis Doctores redarguebat, eoque se
Verbi divini progressibus opponerent,
hacque ratione arma subministrarent
hæreticis, qui falso Ecclesiam Catho-
licam accusant, quod Fidelibus sacri
Codicis lectionem prohibeat: his Re-
natus addidit: „cum autem mei intel-
„lectus rationibus diffidam, elucubra-
„tionem meam celebrioribus Parisinæ
„Facultatis Doctoribus, sociis meis com-
muni-

Sæcul. XVI.
A. C. 1575.

„municabam, qui itidem eam appro-
 „barunt, atque octodecim ex illis suam
 „approbationem proprio chirographo
 „firmarunt. „ Hanc apologiam Facul-
 tas unacum responso ejus Romam trans-
 misit, moxque Gregorius XIII. Papa
 hoc anno Salutis nostræ millesimo quin-
 gentesimo septuagesimo quinto die ter-
 tia Octobris diploma transmisit, quo
 censuram a Facultate contra Benedi-
 ctum Renatum latam confirmabat, li-
 terasque Apostolicas ad Decanum, ac
 Facultatis Theologicæ Parisiensis in
 Sorbonico Collegio Magistros dirigebat,
 hæc asserens: „Vidimus Biblia, quæ
 „ad nos misistis a Renato Benedicto,
 „tanquam ex communi latina versione
 „in gallicam linguam fideliter trans-
 „lata, cognovimus in iisdem perverfas,
 „ac perniciosas adnotationes, vestras-
 „que in illud opus accuratas, & erudi-
 „tas censuras: laudamus summopere
 „vestram diligentiam, ac sincerum Ca-
 „tholicæ veritatis Zelum cum doctri-
 „na, & charitate conjunctum: si qui-
 „dem bene nostis, quantam perniciem
 „afferant piis animis libri depravati,
 „& præsertim divinorum eloquiorum
 „perversa interpretatio: corrumpunt e-
 „nim, ut inquit Apostolus, bonos mo-
 „res colloquia mala: quamobrem ve-
 „stram censuram comprobamus, nem-

U 5

„pe

Sæcul. XVI. „pe in ejusmodi opere deprehendi er-
A. C. 1575. „rores, hærefes, blasphemias, injurias
 „que intolerabiles, aliaque tum in textu,
 „tum in annotationibus, additionibus,
 „& præfationibus offendicula Catholi-
 „corum ex hæreticis libris, & inter-
 „pretationibus sumpta, ita ut non ad
 „consolationem simplicium, sed ad de-
 „solationem potius, & ruinam perversa
 „ista versio spectare videatur: ne igi-
 „tur tantum malum indies latius ser-
 „pat, & piarum animarum sensus pe-
 „stifera lectura ad profanas vocum no-
 „vitates abducti corrumpantur, & ex-
 „cidant a simplicitate, quæ est in Chri-
 „sto, hinc illa divini prophetæ voce
 „admoniti auferre offendicula de via
 „populi mei, Biblia supradicta omnino
 „prohibemus, & ab Ecclesia Catholica
 „sub anathemate rejicimus: vestram
 „vero in hanc sanctam sedem, obser-
 „vantiam, sanctæque ejus fidei, Zeli,
 „& potestatis venerationem, perpetuam-
 „que pro Catholica fide pugnam, pa-
 „terna, ut debemus, charitate amplecti-
 „mur. „ Datum Romæ apud sanctum
 Petrum sub annulo piscatoris die tertia
 Octobris anno millesimo quingentesimo
 septuagesimo quinto Pontificatus nostri
 anno quarto.

Verum Renatus Benedictus huic
 Apostolico diplomati acquiescere cuncta-
 batur.

§. XLVIII.